

Theoponicus, eam distinctionem excogitavit, iisque simul collectis, in quibus Monachi subtraciti fuerant a jure, se potestate Episcopi, ea adscripti legi dicecesana; cetera vero, in quibus Monachi adhuc subiecti remanebant juri Episcopali, spectare ait ad legem jurisdictionis, quod colligitur ex Glossa ad *Can. 1. 10. quæst. 1.* Huic eidem distinctioni, ab Hugone inventæ, adhæsit Honorius III. in *Cap. Dilectus, de officio Judicis ordinarii*, sicuti observat Franciscus Florens *tom. 2. rit. de statu Monachorum fol. 70. & 71. & rit. de officio Ordinarii ad text. in Cap. Dilectus fol. 187.* Ildefonsus Clemens de Aroslegui in *sua Concordia Pastoralis edita Compluti anno 1734. part. 1. cap. 1. num. 70. & pluribus seq. Rota Romana dec. 769. num. 4. & seq. coram Molines.*

IV. Hæc satis esse videtur ad rem, de qua agimus, illustrandam; si enim cetera prosequi vellemus, quæ de lege jurisdictionis, & lege dicecesana Doctores annotarunt ad *tit. Cap. Dilectus*, in infinitum cœsceret hæc noster liber, atque in ea nos dumtaxat conficeremus, unde vel nullus vel exiguus sane fructus expectari posset. Nec vero ea, qua innuimus, in quibus fere Doctores conveniunt, non hujusmodi sunt, ut viam definiendæ propostæ quæstioni patefaciant. Semel enim posito, ad legem dicecesanam ea pertinere, in quibus Monachi sunt exempti a jure Episcopali; & ad legem jurisdictionis cetera, in quibus eidem juri subsumt; cum ex infra dicendis liquido constet, Monachos in nonnullis Synodo subijci, in aliis ab illa eximi; plane exinde conjicitur, Synodum Dicecesanam esse quod mixtum, & ad utramque legem spectare. Ita dissidentes hæc in re Doctores invicem componit Ostiensis in *cap. Quod super his num. 2. de majorit. & obedientia*, quem sectantur Bottus de *Synodo part. 1. num. 61. & seq. Paulutus in sua Jurisprudencia sacra de Comitibus Ecclesiasticis tom. 4. Biblioth. Pontificie Roccaberti pag. 452. Rota decisi. 619. part. 4. diversor. & decisi. 17. num. 23. de offic. Ordinari. coram Falconerio tom. 3.*

CAPUT QUINTUM.

De loco in quo Synodus Dicecesana habenda est.

Cum Episcopus in tota sua diocesi jurisdictionem ordinariam mensuræ habere debuit non existit, quin in quolibet loco sua diocesis non exempto, per se, vel per alium possit pro tribunali sedere, causas ad Ecclesiasticum forum spectantes audire... Et cetera, quæ ad ipsius spectant officium, libere exercere: verba sunt Bonifacii VIII. in *Cap. 7. de officio Ordinarii*, in 6. Quod recte sanctum notat Cironius *lib. 2. Observat. Jur. Canon. cap. 4.* exemplo Prætoris Urbani, qui cum esset Judex ordinarius civium Romanorum, uti testatur Plu-

tarchus in *Sylla*, ubicumque jus diceret, forum constituerebat, *leg. penult. ff. de just. & jur. & leg. ult. ff. de jurisdictioni. num. Judic.*

II. Quamobrem indubitatum est, Episcopum non solum in civitate, verum etiam in quolibet sue diocesis parte, posse Synodum cogere; Unde Concilium Aurelianense I. anni 511. *can. 19. tom. 2.* Collectionis Harduini *col. 1021. & Offense anni 598. can. 1. tom. 3.* ejusdem Collectionis Harduini *col. 535.* jubent, ut omnes Abbates, Presbyteri, & Diaconi singulis annis accedant ad Synodum celebrandam in loco, ubi Episcopus elegerit; & inter antiqua statuta Ecclesiæ Biterrensis, ab Hugone Episcopo anno 1368. renovata, *tom. 4. Anecdotor. Martine col. 627. cap. 1. legitur: Statuimus & ordinamus, quod quolibet anno, bis Synodus celebretur in Ecclesiæ Biterrensi, vel ubi Dominus Episcopus ordinaverit.* Quin immo, addit Bottus de *Synodo part. 1. quæst. 5. num. 58.* integrum erit Episcopo suam Synodum cogere etiam extra propriam diocesim, si ab ea fuerit expulsus, aut ob pestem, aliamve justam causam, ab illa recedere coactus; quod tamen intelligendum monet Maslobrius de *Synodo Dicecesana cap. 2. dub. 8.* dummodo consentiat Ordinarius loci, ubi exteris Episcopus vult suam Synodum celebrare. Atque ita passim, obventa prius ab Ordinario licentia, quidam Episcopus titularis, qui diocesim administrabat sitam in terris Infidelium, & ab ea fuerat expulsus, cum ejusdem diocesis Presbyteris, & Clericis, qui secum advenierant ad civitatem Burgensem, suam Dicecesanam Synodum ibidem habuit, quod refert Frances de *Ecclesiis Cathedralibus cap. 32. num. 92.*

III. Verum, etsi solo jure spectato, liberum sit Episcopo Synodum congregare in quolibet sue diocesis oppido, expedit tamen, cum nullum obstat impedimentum, ut illam cogat in civitate, quemadmodum declarat sacra Congregatio Concilii in *Acernen.* die 17. Maii 1636. *lib. 15. decreti p. 355.* a tergo hinc verbis: *Poste Episcopum etiam in dicto oppido Dicecesanam Synodum congregare; sed sciens esse, ut illam apud suam Cathedrallem celebret.* Quod si dux Cathedralis Ecclesiæ sint æque principaliter unitæ, Episcopus, qui utrique præest, sola inspecta juris severitate, non tenetur facere duplicem Synodum, sed unam tantum in alterutra, quam maluerit, ex præfatis Ecclesiis, cui adesse tenentur Ecclesiastici utriusque diocesis, editisque in ea decretis ambe dioceses obstringuntur, sicuti docent laudatus Frances *cap. 8. num. 370. & seq. Gratianus distep. 655. num. 29. & seq. Cardinalis de Luca de jurisdictione distep. 56. num. 6. & de præminentis distep. 7. num. 2. & 21. Romaguerra ad Constitutiones Synodales Gerundenses lib. 1. tit. 1. cap. 1. num. 12.* Emerix junior *decisi. 1186. & decisi. 1236.* Neque hinc doctrinæ illud adversatur, quod a sacra Congregatione Con-